

- 1438 cuique ordini ardua prominerent castella: ea triplex catena muniebat, statuitque in utraque ripa machinarum, tormentorumque multitudinem ingentem: quæ omnia ea ratione erant disposita, ut nullum navigii genus admoveri posset, quod momento temporis vicenis tricenisque ictibus non essent confossura. Nec minori studio Sermenum quoque ad Padi dextram, medio inter Ficariolum & Hostiliam tractu, opere & præsidio hostis firmavit. Hæc circa Padum. Philippus, Urceis receptis, ubi Mellitanas copias per montes in pacatum abiisse constitit, vehementer doluit: & quanquam extremum jam autumnus esset, appetereque hybernorum tempus, Picininum tamen & alios duces ad se vocatos, ad Brixia obsidionem hortatur, significatque interim verbis, quantopere ipsius animus de futura ejus urbis oppugnatione laboraret. Nihil, dicere, optabilius sibi contingere posse, quam ut suorum ducum virtute Brixia expugnaretur: quæ præterquam quod opulentissima esset, ingens quoque victoriæ in ea verteretur discrimen. Irent igitur, & strenuam sibi operam in illa oppugnanda navarent: sperare se, urbem præsidio destitutam, fame ad id & pestilentia laborantem, aut vi aut voluntaria deditioe suis armis brevi concessuram. His ille Picininum & alios hortatus, a se dimisit. Nec ulla deinde mora fuit: confestim viginti hominum millibus ad urbem admotis, gravi obsidione Brixienfes Picininus adoritur: admota præterea mœnibus bellicorum operum machinarumque vis ingens, quarum quindecim ex Mediolano advectæ tantæ magnitudinis fuisse traduntur, ut earum minima trecentorum pondo lapidem emitteret. Ad tot tormentorum ictus tanta circa Mombellanam turrin & alia urbis loca murorum ruina secuta est, ut de deditioe facienda cives, ab initio territi, nihil jam occulte loquerentur. Habuit aliquandiu res ipsa magistratus urbis magis sollicitos, quam terribiles hostium conatus: atque ob id ita est inter eos comparatum, ut Christophorus Donatus Prætor domi se contineret: qui prætorium adeuntes, multosque etiam de industria ad se vocatos, blande exciperet:

*Brixia obsidetur.*